




Palestina.

<https://hdl.handle.net/1874/430385>




In monte Caſio iuxta Oſtracinam, quæ hodie Lariffa vocatur, ſepultus fuit Pompeius. Longitudo terræ ſanctæ accipitur à Dan ciuitate ſita iuxta Libanum uſq; ad Berſabeæ ciuitatem è regione Gaza poſitam. Latitudinè uero terminant mare mediterraneum & Iordanis flu. etiã ſi ultra Iordanem ſitæ fuerint tribus Aſer, Ruben & dimidia tribus Manafſe. Quomodo Aegyptus huic tabulæ adhæreat, uidebis infra in deſcriptione Aegypti. Nam extendimus alteram extremitatem huius tabulæ uſque ad conſinia Aegypti, id quod Nili orientale ofitium hic oſtendit.

Per hoc deſertum Pharan peregrini Ieroſolymitani relicta urbe ſancta cõſueuerunt proficiſci ad montem Sinai, ad inuiſendũ diuæ Catarinæ ſepulchrũ. Occurrebant autem tranſeuntibus multa & uaria pericula, incidentes nunc in mare arenofum, nunc in terram ſerpentibus ſqualentẽ, aut penuria aquarum laborantem, aut aſperrimis rupibus obductã, omniq; adminiculo humani uiciũ deſtitutam, ubi ſolo manna cõleſti aut multa opus eſt humana prouiſione. Conſciebant uer illud ducatu aſtrorum,

concomitantibus Sultani Aegyptij (qui tunc terris iſtis præfuit) miniſtris & agathonibus. Experti ſunt olim & Iſraelitæ omnes has moleſtias, eaſq; magno animi taedio ferentes, contra duces ſuos Moſen & Aharon murmurabant, etiã cum re ipſa uiderent ſibi diuinum ad eſſe ſubſidium. Fuit uer illorum uarium & perplexum ex Aegypto in terram Chanaan, ut hic punctulis eſt ſignatum, quibus quoq; manſionum nomina in diuerſis locis ſunt adiecta. Qui hodie ab Ieroſolyma ad montem Horeb peregrè uadunt, dicuntur iter illud 14. dierum ſpacio conſicere, quum Iſraelitæ ob uarias ambages & plurimas ſtationes ſeu manſiones opus fuerit quadraginta annorũ tempore. Vide de hoc itinera- rium Breitenbachij aut Felicit Vlmensis.

Meridies

Blank
DIV - 1



hamum, Isahacum, Iacobū a que alios filios eius, quin et Moſen atque Dauidem paſtores fuiſſe in hac regione, diuites que effectos ex pecoribus, & totam eorum ſubſtantia in re pecuaria conſtituiſſe. Habuerunt Romani ſere mille annis imperium ſuper Syriam, deinde Saraceni eam ſibi uendicarunt una cum ciuitate Ieroſolymitana, poſſederunt que circiter centum annis, & tunc Chriſtiani ruruſum eā recuperauerunt, id quod paulo poſt laius explicabimus. Et ut ordine quodam hanc latiſſimam regionem diſpiciam, primū luſtrabimus Paleſtinā, quæ principalior Syriæ eſt pars, ſingulas que eius terras diſigentius conſiderabimus, eo quod tota ſacra ſcriptura ueteris & noui teſtamenti in hiſtorijs ſuis uerſatur in hac terra.

Paleſtina.

Complectitur Paleſtina Idumæam, Iudæam, Samariam atque Galilæam, & has terras olim inhabitauerunt Chanaanæ, Jebuſæi, Hiuei, Hitthæi &c. ſed fuerunt imperio diuino inde expulſi & populo Iudaico ad inhabitandum datæ, id quod uetus teſtamentum multis inſinuat uerbis. Terra Idumæorum, ut uideri poteſt in noua terræ ſanctæ deſcriptione, ſita eſt inter Aegyptum & Iudæam, eſt que portio Arabicæ terræ, ualde fertilis ab ea parte qua mari alluitur, uerſus Arabiam uero dicitur eſſe ſterilis, ubi pertingit ad montana Seir. Clauditur ibi montibus & rupibus abſciſis, atque uallibus effoſis cōcurſu torrentium, ac inde altis & implexis anfractibus ſic coarctatis, ut per anguſtos calles tranſitus uix pateat uia-tori. Præcipuæ eius urbes Mareſa, Anthedon, Gaza, Aſcalon & Azotus, quarum frequens in biblijs ſit mentio. Natus fuit in Aſcalone inſignis ille tyrannus Herodes, ſub quo Chriſtus natus fuit, qui mira aſtutia ad ſe traxit regnum Iudaicum, interfecit que omnes qui tunc de regio Iudæorum ſemine adhuc extabant.